



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. XXII. Argumentum. Telemachi Salentum reditus: admiratio ob  
mutatum statum Salentini Imperii. Detectæ à Mentore causæ, salutis  
regnorum adversæ. Telemachi consilium de iungenda sibi Antiope ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

Diomedii tradiderunt. Fuit hæc res sociis incredibili lætitiæ; quippe partes suas hæc ex coloniis plurimum aucturis, si pessimo Adraſti exemplo Daunios finitimarum regionum nefaria libido invaderet. Interea Principibus tota cogitatione adornantibus reditum, & ipse Telemachus, poſtquam Diomedii ſeni, afflicto Neſtori & Herculearum ſagittarum digno hæredi Philoëtetæ amplexus ultimos inieciſſet, inter uberes ſletus cum milite ſuo profectus eſt.

## TELEMACHUS.

### LIBER XXII.

**A**rdebat Telemachus intolerabili deſiderio rurfus videndi in urbe Salento Mentoris, & dehinc cum eodem ineundæ in Ithacæ navigationis, quò genitorem non dubitabat rediſſe. Ingreſſus ſalentinis agros fatiſ mirari non potuit, videns regionem, quam incultam ferè deſertamque reliquiſſet, totam horti diligenter inſtituti ſpeciem, & operarum ingentem multitudinem oſtentare. Adorabat ergo in hiſ veſtigia Mentoreæ ſapientiæ. Sub ipſum autem in urbem ingreſſum advertit numerum eorum artificum, quorum opera voluptatem humanæ vitæ promoven, luxumque oppidò deſluxiſſe. Offendebat hoc juvenem, quippe ingenio cupido ſtudioſoque rerum, imperatoriam ſpeciem ac dignitatem præferentium. At continuò ſalubriora ſubiecit animus. Ibat in redeuntis occurſum Idomeneus cum Mentore, quibus ipſe procul viſiſ ſimul tenerrimo gaudio cœpit perfundi. Quamquam autem res proſperè contra Adraſtum geſſerat, verebatur tamen, ut Mentoris arbitrio ſatiſfecerit. Unde quò ille

ille fiebat propinquior, eò iuuenis erat in obser-  
vandis oculis venientis curiosior, utrùm nihil præ-  
ferrent obiurgationis.

Continuò Idomeneus haud alio quam patris  
amplexu stringebat Telemachum. Inde se iuuenis  
Mentoris cervicì lacrymàsque affudit. Inter quæ:  
Satisfecisti mihi, Mentor inquit. Errasti non semel,  
non leviter. Sed inde didicisti te ipsum noscere,  
& diffidere eidem tibi. Plus interdum prodest ho-  
mini vituperiò, quàm laude gessisse digna. Hæc  
quippe tentant superbiâ animum, & admiratione  
fui inficiunt; illa hominem sibi ipsi, simulque ela-  
psam inter res secundas sapientiam restitunt.  
Quod superest: Deos lauda; tu verò noli ab ho-  
minibus laudari. Præstitisti grandia; at numquid  
viribus tuis minimè? Nónne acciderunt illa tibi  
quasi adventitia, & non enata intra te, atque ita,  
ut potuerint temere festinatis consiliis tuis dissipa-  
ri? Sensistin', te in alium quasi hominem muta-  
tum, levatúmque supra te Minervæ numine, ut,  
quæ agebas tu, illa manu tua perageret? Illa, illa  
cursum imbecillitatum tuarum non secus atque  
Nereus cohibitis procellis iratos fluctus stitit.

Interea dum Idomeneus ad varia è Cretenfibus,  
qui cum Telemacho redierant, interroganda cu-  
piditate novitatis prolabitur: Telemachus docen-  
tem Mentorem non seigniùs audivit. In omnes  
deinde partes oculos circumferens attoniti habitu,  
ad Mentorem: Vicissitudinum, inquit, quæ ubique  
se offerunt, causam non capio. Salentum ergo  
mali quid absente me passum? Quid illos ante me-  
am profectionem luxus & ornamenta disiecit?  
Non aurum, non argentum, non gemmas intueor.

Vestes

Vestēs nihil diversæ à vulgaribus : Ædificia minùs spatiosa cultaque : multatæ artes & frequentia opificum. Salentum solitudo est.

Mentor tenui risu sciscitabatur, num conditionem observasset urbani ruri? Annuente Telemacho, se agriculturam florentem, & glebam, antea sterilem, nunc probe subactam inspexisse: Quid ergo tu præfers, ille subiicit, auro argentoque instructum oppidum cum inopi & neglecto solo? an cultum fertiléque solum cum mediocri & bene morato oppido? Abundans civitas artificibûs, quorum disciplina opitulatur morum voluptati, monstrum mihi est, cuius caput eximium & splendidum, corpus verò aridum est, exclusum alimentis, & minimè congruens. Verissimæ regni divitiæ sunt copia civium & alimentorum. Habet nunc Idomeneus populum innumerabilem, industrium, amplitudini limitum suorum sufficientem abunde. Regnum eius totum una nunc civitas; Salentum verò centrum duntaxat istius est. Homines, quorum in urbe non erat usus, hinc in agros transtulimus, quibus decrant colentium manus. Augetur ubertas soli, quantum numerus eorum, qui colunt. Hæc iucunda, hæc pacata incrementa plus me hercle regnis adiiciunt, quam alienigenarum occupati dominatus. Summa eius, quod ista in urbe egimus, est; quòd artes superfluas interdiximus, quibus tum pauperes abstrahuntur ab agresti opera, ex qua vera humanæ vitæ sublevanda necessitas; tum divites depravati superbia & mollitie vergunt in deterius. Ceterùm nec artes ingenuas & utiles, nec ad percolendas eas à natura comparatos tetigimus. Ergo Idomeneus nunc longè potentior est,

est, quàm cùm magnificentiæ illius splendor te perculit. Celabat is splendor putidam miseriam, univèrsùm Imperium paulò post subruituram. Nunc verò non plures modò subditos alit, sed etiam commodiùs alit, & meliùs; qui quidem omnes rura sua operaque manuum suarum putabunt sibi defendenda. Itaque hoc Imperium, quod tu prolapsum existimas, exurgens haud multò pòst in admiratione totius Hesperiaë versabitur.

Cogita, Telemache, duo plerumque reperiri in summo imperio. Primum est iniusta & nimis violenta potentia, quam reges sibi consueverunt asserere; alterum verò luxus, quo quidem ad bonos mores nihil importunius. Reges, qui se permit- tentes cupiditatibus, assuescunt leges præter supremae voluntatis suæ libidinem nullas revereri, agere possunt, quæ libent. Sed ea ipsa res, quòd agere possunt, quæ libent, tentat violatque fundamenta, quam habent, potentiaë. Agendi impe- randique modum & rationem certam non ampliùs tenent. Sudant ad palpandos eos omnium studia. Non iam habent subditos, sed mancipia, quorum numerum dies decerpunt singuli. Quis verum do- cere? quis huic torrenti imperare limites? rece- dunt omnia. Mandant se latebris & tristi solitu- dini, qui pollent consilio. Soli imperus improvisæ vicissitudinis bacchantem extra iustos fines poten- tiam ad æquitatis cursum possunt compellere. At quoties imperus, ad eandem moderandam idonei, omnino percellunt etiam unà cum spe dissipandam se reparandi! Præfagitio ruinaë oraculo certior est æquo altiùs provecta potentia. Arcus est plus, quam patiat, intensus, quem si resolutum non  
laxas,

laxas, præter opinionem diffringitur. At quis eum resolvet? quis laxabit? Atqui tam lenis illecebra immoderatæ potentia Idomeni pectus omnino pessumdederat. Exutus soliô errorem tamen suum non exiit. Huc necesse fuit à Diis nos mitti, ut eum moveremus ex perversa æstimatione huius tam cæcæ, tam à modo, humanæque conditione abhorrentis potentia. Quid? quòd mira quædam censuerunt adiungenda, ut radios disciplina nostræ oculi sponte cæcutientis admitterent.

Alterum malum, idque perinde ferè insanabile est luxus. Ut reges immoderata potentia; ita luxus corrumpit universum populum. Et luxum quidem excusant, quòd egenorum obsequia victum possint ex sumptibus opulentorum hominum consequi. Ac si verò pauperibus non liceret utiliùs ali, si non doceant ingenia sua corruptelæ divitum, sed industriam suam agrorum fertilitati deservire. Hac demum ratione nationes integræ assuefiunt inter fulcra humanæ vitæ reputare putidissima vitia. Dies singuli novas necessitudines parturunt; rebùsque plurimis ætatem præsentem adstringunt, quarum ne quidem nomen tempora paullò superiora noverunt. Audit hic luxus rerum adulterato nomine limatum pulchritudinis iudicium, artium perfectio, nationis urbanitas. Hoc vitium, quocum connectuntur cetera sine numero, commendat se laude virtutis. Hæc pestis manans à regibus serpit ad plebem infimam. Propinqui regis æmulantur eius magnificentiam: premunt splendorem istorum proceres: proceribus se æquant, quorum non ultra mediocritatem conditio: mediocribus se inferunt minimi: intra vires suas nemo

nemo quisquam se continet. Eas ultra provehit alios fastus & divitiarum iactantia, alios insanus pudor & cura celandæ inopiæ. Iam neque ipsi, qui mala satis intelligunt tam abominandæ perversitatis, tantum sapiunt, ut occurrentes suo exemplo audeant hanc pestem contravenire primi. Evertit se tota natio: collidunt se se permixti ordines. Cupiditas ditescendi, ne desit facultas splendorum sumptuum, tentat integerrimos animos. Languent rerum omnium, si divitias excipis, studia. Paupertati honestas detrahitur. Esto artium optimarum disciplina eruditus, ad res gerendas natus factusque, virtute singulari & prorsus eximiâ; esto magister præceptorum, laureis & trophæis conspicuus, vindex patriæ, ex asse devotus civium salutis: nisi ornamentis istis dignitatem opum affundat luxuria, è plebis ultimæ reiectaneis numquam emerges. Sed & illi, quibus ferè manus porrigenda ad stipem, divitiarum aucupantes nomen, more divitum victitant. Inde petuntur mutua: suscipiuntur doli; nullæque machinæ, nullæ præstigiæ omittuntur ad exculpendam pecuniam. Quis malis istis medebitur? Toti nationi induendum novum ingenium, nova consuetudo; aliæ leges constituendæ. Ad ista autem cui facultas suppetit nisi regi, intelligenti rerum planè omnium; qui noverit amatoribus luxuriæ frugalitatis exemplò afferre verecundiam, meliora sapientibus animum, plurimum utique gavifuris, si moderationi suæ honestas regiæ auctoritatis accesserit.

Philosophantem in hanc sententiam Telemachus ferè audiebat, ut qui sibi è gravi sopore restituitur. Quæ à Mentore disputabantur vera, comprehensa

hensa

hensa mandabat animo, ut ductus suos peritus artifex marmorì, cùm delicatè spirantis habitum eidem affingit. Finienti sermonem nihil respondit. Sed repetitis apud animum suum, quæ à Mentore fuerunt prolata, quidquid in urbe aliam formam acceperat, oculis percurrit. Spectatis omnibus:

Inter reges, inquit, Idomeneum sapientissimum effecisti. Alius rex, alius populus est. Antecedit enimvero immensis spatiis tuum hoc facinus nostras nuper victorias. Multum iuvant bellorum successus fortuna & armorum potentia. Admittendi sunt in societatem victoriæ etiam gregarii. At verò huius gloriæ, quam es adeptus, socium tu habes neminem. Tu unus regem, tu populum univèrsam, tu phalanges perversitatum debellasti unus. Cursum item ac eventum armorum gravat calamitas atque invidia. Hic verò omnia spirant opus cœlestis sapientiæ. Omnia placida, pura, idonea ad alliciendas voluntates, & loquentia auctoritatem, quam in homine non reperimus. Mortales, qui laudis incitantur desiderio, cur eam ex beneficentia & bonitate non petunt? Ut perversè metiuntur verum decus, si gloriam stabilem è terrarum populationibus & stragibus hominum sibi putent nascituram.

Mentor sensum miræ voluptatis præferebat vultu, cùm videret Telemachum hac ætate, cui tam alioqui familiare, obrui comparandæ laudis illecebrâ, vanam de gloria armorum opinionem deposuisse. Unde postea subdidit: Bona quidem esse & probanda, quæcumque aspiceret. Ceterùm meliora adhuc posse constitui. Nam Idomeneus, inquit, tametsi cupiditatibus suis egregiè resistens  
legum.



sunt: corrigendi, incitandi, extollendi, amovendi sunt: transferendi denique, & semper habendi in potestate. Omnia & singula subiicere velle suæ ipsius industriæ, diffidentiam redolet, & putidam solertiam; invidiamque gignit ostentationis ingenii, ingredientis in singula: quibûs eximitur bonum otium & libertas animi, geminum ad maiora negotia non modò subsidium, sed & fulcrum. Quippe res pensaturis momenti, opus est animus liber & compositus. Vacandum est meditationibus rerum tempore vacuo, & cùm mentem non distrahit cura ambigui negotii. Exhaustus sollicitudine ad rerum singularum minutias animus instar facis se habet de vino, quæ nec acris ad gustum, nec exquisita est. Qui regnum administrant curâ singularium, mentem circumscribunt præsentibûs; excurrere ad futura non sinunt. Semper impliciti rebus diei, in quam incidunt, istis duntaxat se commodant: istis insudant: istis cogitationem totam affigunt; etsi nec plenam nec integram. Neque enim iudicium integrum ferre de rebus licet, nisi omnes simul comparatæ certum redigantur in ordinem, ut iusta quadam serie connexæ inter se congruant. Hoc imperandi præceptum qui negligit, par est fidicini, qui sonos optimos symphonie sigillatim tentat & invenit, sed iusto eos concentu committere non studet. Par est architecto, qui partes suas putat administratas quàm optimè, si prodigiosas columnas, saxaque affabre excisa congestit magno numero, nondum in mente designata specie & proportione concinnandi ædificii. Dum laxat in aulam spatia; non meminit, scalam aulae ex amplitudine debere congruere. Dum partes domus  
moli-

molitur præcipuas; nihil subit de area, nihil de porta principe. Totum opus nihil nisi congeries est splendorum, ceterum ad se non facientium partium. Itaque tantum abest, ut artifici suo sit honorificum, ut potius monumentum existat ignominia, ex quo intelligent posteri, fabrum non satis prudentem fuisse ad destinati operis imaginem rectè concipiendam. Est hoc signum angusti finibus inclusæ & alienis viribus sublevandæ intelligentiæ. Qui ingenium est nactus, intra cancellos regularum singularium duntaxat industrium, nihil poterit, nisi brachiis alienis, efficere. Cerrum habe, Telemache: administrationi regnorum tam necessaria est harmonia quædam & iusta proportio, quàm illa Musicæ, hæc architecturæ.

Quodsi velles me porro comparationi, quam ex his artibus petebam, insistere: docebo, quàm non superent vulgi ingenium, qui præfunt, singularibus affixâ curâ. Qui in iusto vocum concentu non nullas tantum partes modulatur, simpliciter cantor est, quantumlibet canat peritè. Qui autem totum concentum dirigit, eiusque partes omnes concinnavit, ille magister artis habetur Musicæ. Sed & qui excidit columnas, vel educit parietem, nondum eximitur aut numero aut nomini illorum, qui vacant & manus admovent murali structuræ. Ille scilicet unus architectus est, qui totum opus invenit, eiusque partes omnes combinavit animo. Ergo nec illi regnant, seu reges sunt, qui laborant; qui imperata exequuntur, & pleraque negotia conficiunt. Operarii duntaxat sunt, vocati in partem operæ, non potestatis. Unus ille rex & præfes reipublicæ ac velut quidam Deus est, qui, dum agit

nihil, facit, ut agantur omnia; qui meditatur, qui excogitat; qui prospicit futura, revolvit præterita; qui ordinat, & normæ proportionis cavet; qui se longè post venturis accomodat; qui assiduè contendit obluèctari fortunæ, ut natans adverso torrenti; qui denique noctes diesque vigilat, ne quid cogatur arbitrato fortis permittere.

Putásne, Telemache, peritissimum quemque pingendi labori toto insudare die, quò citiùs opus, quod præ manibus habet, perficiat? Profectò id genus tormenti, hæc crassa obnixaque laboris contentio facultatem fingentis animi eius ita offenderet, ut nihil dehinc suppeditaret illius industriæ. Quæ ab eo fiunt, fieri debent præter propositum, cursim, ut stomachus fert & calens impetus. Aut certè terendis coloribus, accomodandis penicillis dat otium? Tyronum hæc pensa sunt; ipsius verò meditari, invenire. Quod ab illo tota cogitatione suscipitur, sunt ductus audentiore penicillo describendi, qui addunt imagini generosum ingenuumque habitum, vitam, & qui congruat, sensum. Ille cogitata, ille mentem induit Heroum, quos it expressum coloribus. Toto animo in eorum regreditur tempora; & velut ereptus sibi, in eodem, quo ipsi fuère, articulo se rerum constituit. Ad hunc quasi divinum animi afflatum adhibenda ex disciplinæ institutis prudentia, qua cohibeatur intra iustos limites, ne quid falsum seu erraticum, vel mendosum, aut male congruens cogitanti subiiciat. Iam ad efficiendum bonum Principem, quàm pictorem, minore putas opus esse aut incitatione afflatúque ingenii aut facultate animi? Ex his ergo statues, regis esse meditari, exempla concipere maiorum

iorum operum ac negotiorum, viros denique idoneos eligere, quibus ea curanda rectè committat.

Hæc differenti Telemachus: Equidem videor mihi, inquit, assequi fatis, quæ doces. At si hæc ingerendis rebus tenetur ratio, regem frequenter hallucinari necesse est, quippe qui se cuius rei curandæ sigillatim non tribuit. Quin tu hallucinarius ipse, Mentor reponebat. Ipsa universalis intelligentia regnum administrandi vetat hallucinari. Qui tam arte carent gerendi negotia, quàm facultate internoscendi ingenia, continuò incedunt, ut qui in tenebris. Fortuitum est, eos errore non labi. Quid quærant, quid intendant animo, ne ipsi quidem intelligunt. Diffidere tota eorum est disciplina. Honestissimum quemque, contradicere qui audet, habent ancipitis fidei, & magis, quàm, qui blanditur, præstigiatores. Contra qui ad imperium probè sunt instituti, nec rudes ingeniorum, sciunt, quid ab his contendere, & quomodo debeant, quod contendunt, obtinere. Satès intelligunt, summatim certè, num ad destinata idonei, quorum operam conducere? Utrùm rite, quod postulantur, introspeciant, ut ne fallat successus instituti consilii. Adde, quòd seorsum non implicant se cuilibet graviori negotio. Ergo tanto minus obstat, quin caput & summam rei, quæ agitur, uno quasi emetiantur obtutu, videántque, utrùm successus eius ad finem primarium conducant. Si quandoque contingat illos hallucinari: parùm inde deterius habet, quod ea in re est præcipuum. Porro invidiolas defendunt suo ab animo, argumentum angusti & ignobilis ingenii. Manifestum ipsis est, sine errore res grandiores geri non posse,

quoniam gerendæ per homines, quorum tam solennis industria errorem obiicere. Perniciosus est, ob errandi suspicionem nihil statuere, quam modicum errorem alienâ malitiâ admittere. Sat magna felicitas, tantùm in mediocribus falli. Neque enim hæc obstant rei, quæ agendorum est caput; quod quidem unicè curandum est Principi. Equidem detectæ fraudi haud sanè danda impunitas. At expectanda subinde fraus etiam verè illam conanti defugere. Nihil officina subducit vel oculis artificis vel operæ. At ipsa amplitudo Imperii regem vetat videre & agere singula. Agere tantùm debet, quæ curam vicariam respuunt; & videre, quæ ad diiudicanda graviora pertinent.

Postremò Mentor affirmavit Telemacho: Deos illi favere, & destinâsse Imperium, quod totum videatur ab ipsa Sapientia constitutum. Hic loci quæcunque intueretur, magis ad eum erudiendum, quàm Idomeneum illustrandum in hunc adducta ordinem fuisse. Leges optimas, quibus admiraretur Salentum nunc regi, præmonstrare duntaxat speciem rerum, quas, si virtutem suam æquaret illustri fato, quondam esset suscepturus in Ithaca. Et iam tempus est, inquit, cogitandi de nostro hinc abitu. Excipiet profecturos paratum à rege navigium.

Nec morabatur Telemachus, quo esset ad ista animo, ostendere. Ceterùm minus liber erat sensum explicantis suum habitus, ob voluntatem scilicet proclivem ad aliquid, quo Salentum charum ipsi esse occeperat. Dabis, inquit, forsan crimini, quòd, cum peregrinum me esse meminerim, hic in amores æquò faciliùs defluam. At nunquam desisset, quod mihi obiiceret animus, si celatum te  
velim,

velim, me amare Antiopen, Idomenei filiam. Non est, amice, hæc cæca cupiditas, quali me in insula Calypsûs exsolveras. Scio, quod amanti infixit Eucharis, quàm fuerit non negligendum vulnus. Ipsum adhuc nomen illius non prodit hîs labrîs innoxium. Nondum eam delevit temporis diuturnitas, non absentia. Moneor ergo hoc tristi usu memet habere suspectum. At enim alia sunt, quæ ab Antiope sentio. Non is stolidus amor, sed voluntas, admiratio, & invicta persuasio quædam animi est. Felicem me, si vitam meam contingeret cum illa transigere. Si genitorem mihi reddent immortales Dii; si nolent solitarium Telemachum esse: sponsam mihi legam Antiopen. Amandi causæ mihi sunt taciturnitas, modestia, continentia, labor assiduus, industria, qua lanæ & acui admovet manus; diligentia inde ab elata genitrice curandi rem domesticam, neglectus apparatus muliebrium, æstimatio pulchritudinis suæ luculenter nulla. Iussam à genitore ad tibiæ numeros præfultare Cretensibus puellis, germanam credas lætæ Veneris, Gratiarum stipante comitatu. Ab eodem ducta venatum, Augusto habitu & iaculandi dexteritate Dianam assequitur, inter numerosum Dryadum famulatum exultantem. Atqui ipsa sola, quod ceteri admirantur, ignorat. Templum Deorum subiens cum libationibus, exceptis canistro hærente in capite, credi me hercle possit ipsa Numen esse, ad quod adorandum se agit. Et qua pietate operantem videmus Divinæ rei, propitiare Deos, quando aut expiandum crimen, aut amoliendum triste omen? Confidentem in grege sceminarum cum aureo radio, pro Minerva salutaverim, quæ

induta humanam speciem, terrigenas liberalibus disciplinis instituit. Illa ceteras hortationibus animat: molestiam mitigat, nauseamque laboris abolet eximia vocis dulcedine, qua mira Deorum recenset. Non exquisitiùs, non delicatiùs penicillus descripserit, quæ ipsa acu. Felix, cuius vita hanc consortem amabili vinculo Dyphtera adianget. Non habebit, quod metuat, nisi aut illam amittere, aut vivendo superare.

Deos, amice, testor, me profectorem nihil abnuere. Eundem quidem amori Antiopes & vitæ meæ decrevi finem. Ceterùm itineri nostro nec momenti ponet moram. Quodsi alium illi sponsum Dii, ego in æterno luctu ero. Abibo tamen, & nunc quidem; etsi non ignarus, illâ me privari per absentiam posse. Amorem hunc meum & ipsi, & parenti ipsius celabo. Huius te solum fas est mihi conscium esse, donec recuperato folio Ulyssis consensus aliud nato permiserit. Atque ex his, dilecte Mentor, facilè perspicias, quantum interfit inter hanc meam voluntatem & illum impetum animi, quo me cæcutientis more in Eucharin dolebas abreptum.

Perspicio, Mentor interiicit, quantum interfit inter utrumque. Antiopæ lenis, sine dolo, & prudens est: non averfatur laborem: novit tacere & agere omnia ex continenti ordine, ac cum moderatione. Semper occupata, semper tamen libera est, quia reddit singula suis temporibus. Domesticus ordo ac nitor eam adornat, & magis, quàm oris, qua præstat, elegantia. Curat familiam; quòdque muneris eius est, plerisque scæminis invidiæ, corrigit, obiurgat, dat repulsas petentibus,  
mode-

moderatur sumptus: amatur tamen à tota familia. Cuius quidem hæc ratio est, quòd nec immoderata affectio animi, nec contumacia, nec levitas, cognata fœmineo generi mala, dominantur in virgine. Iactu oculi docet, quid velit. Timetur eius offensa. Mandata sua diligenter definit, eaque agentium accommodat viribus. Appellat de perperam commissis sine bile, appellatos benignis hortatibus confirmat. Collocat in ea cor Idomeneus, ut ferè viator in molli gramine subter umbras reficiendos artus. Rectè amas, mi iuvenis. Thesaurus est Antiope, investigandus, etiamsi remotissima regna occlerent. Non ingenio, non pulchritudini suæ indulget luxuriam; restringit vim animi, quantumlibet expeditam promptamque, modestiâ. Loquitur, quando, & quantum petit necessitas: dulcis suada ex ore loquentis fluit, & lepos non arte quaesitus, sed in labiis sponte enascens. Ad dicendum simul os aperit, simul consequitur eorum, qui adsunt, silentium; ex eo autem ipsius verecundia, ut parùm absit, ne, animadversa diligentiore audientia, à cœpto sermone desistat. Vocem dicentis planè audire potuisse multi operis fuit.

Meministin', Telemache, cum à genitore intro-mittebatur? Adfuit humi defixis oculis, & velata plurimùm. Sermonem duntaxat orsa est, ut Idomenei indignationi intercederet, mancipium destinantis gravi supplicio. Laudabat primò, quæ decreverat pater. Deinde admovebat idonea mitigandæ iracundiæ. Postremò exhibens, quæ videbantur ad excusandum reum esse, quanquam non ostendebat, iram concepisse maiorem delicto, adduxit ad æquitatem & misericordiam. Non The-

tys spumas placidiùs detrahit iratis fluctibus, cùm Nerei canos obit muliebri illecebra, quàm Antiope genitori æstum concitati animi. Quanquam autem aliquando nec ius ullum potestatis sibi vendicabit, nec iuris potestati par abutetur oris decus: mentem tamen sui quondam conjugis reget æquè levi opera, atque nunc, cùm lenissimos concinnat sonos, lyram. Rectè amas, inquam, mi iuvenis. Hanc te Dii volunt. Prudenter amas. At expectandum, dum Ulysses iunget tibi. Rectè item amorem illi celabas tuum. Etsi autem per ambages, à te investigatas, cogitatio tua pervenisset ad eius animum, hac reiecta certè in admiratione tui refrixisset. Nunquam illa sponsum suo, sed patris arbitrato accipiet. Sed neque accipiet, nisi qui & Deos & quæcunque decent, observet. Attendistin, post reditus tuos, quàm antea, comparere minus; minus etiam indulgere oculis? Novit, quæ in bello gessisti prospere. Novit genus tuum, eventus vitæ, beneficiæque à Diis tua. Atqui propterea tecum modestè & cautè agit. Eia Telemache! in Ithacam! Meum adhuc est, efficere, ut rursus genitorem aspicias, réque comparare fatìs, ut hanc lectissimam obtineas; quæ etiamsi non inter regii genitoris adolevisset brachia, sed in rigidis Algidi pascuis, felicem tamen beatúmque te sponsum efficeret.

## TELEMACHUS.

### LIBER XXIII.

**I**Domeneus haud otiosè suspicabatur, profectio-  
nem hospitibus suis in animo esse. Quare omni  
eam consilio prorahere constituit. Iam con-  
trover-